



Clerus Sæcularis Et Regularis

Seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III ; Brevi Methodo ad dissentium utilitatem expositus, In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & hororum solutionibus

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

VD18 13510800-001

§. I. De Emptionis, & Venditionis natura, & varietate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75021](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-75021)

tur l. depositum 1. §. illud 7. ff. b. tit. potest vero remitti conventione tacita; quia remitti potest actio Depositii l. Juris gentium 7. §. sed §. si 15. & l. si unus 27. §. illud 3. ff. de pæt. atqui remissa actione Depositii, eo ipso tacite, & in consequentiam remissa confetur actio doli §. illud 3. cit. Brunnem in l. si unus cit. n. 7. Engl. hic n. 5. ¶. tertio si nominatim, Wiesl. n. 15. cum cit.

Neque hoc novum est; non raro enim, quæ expressa nocent, non nocent, & tacite includantur Reg. expressa 195 ff. & que principaliter non admittuntur, si in consequence veniant, sustinentur, Brunnem, l. cit. n. 11.

TITULUS XVII.

De Emptione, & Venditione.

IN precedentibus Titulis actum est de Precario, Commodo, Deposito, qui Contractus sècò ob unius tantum, sc. vel dantis, vel accipientis gratiam iniri solent. Sequuntur jam ij Contractus, qui

in gratiam, & utilitatem utriusque cedunt. Inter hos, ut frequentia, & utilitate, ita etiam celebritate ceteris multum praeterea Emptio Venditio: de qua sit

S. I.

De Emptionis, & Venditionis natura, & varietate.

S U M M A R I U M.

1. Emptionis Venditionis acceptio apud Veteres.
2. 3. Jure novo.
4. Ejus Definitio.
5. 6. Explicatio Definitionis.
7. Ad substantiam illius requiritur consensus, pretium.
8. Et merx.
9. Non verò translatio dominij.
10. Aut traditio mercis, vel pretij.
11. Neque scriptura, nisi ita convenerit inter contrabentes.
12. Qualis Contractus sit, quando convenitur

- de re partim pro pretio, partim pro tradenda.
13. Divisio Emptionis Venditionis in Naturalem, & Artificialiem.
14. In eam, quæ in scriptis fit, & in illam, quæ fit sine scriptis.
15. In Venditionem generis, & speciei.
16. Ad Corpus, & ad Mensuram.
17. 18. Quid interfit, an Venditio fiat ad corpus, an verò ad mensuram?
19. Item an quantitas fit addita taxativa, m. demonstrativa?

QUæritur 1. quid sit Emptio Venditio? 2. Emptionis, & Venditionis nomine aliter vetustas usus est, aliter nunc adhiberi solet. Antiqui his vocibus contractum, & mutuam præstationem quamcumque, & Lex XII. Tabularum alienationem planè omnem complexa est, ut patet ex §. item pretium 2. Inst. b. tit. l. statu 29. §. Quintus Matus 1. ff. de statu liberis; quia putabant pretium non in sola numerata pecunia, sed in cæteris etiam rebus posse consistere. Hinc qui fundum, togam, oleum, aut simile quid cum alia re permutabant, dicebantur contraxisse Emptionem, Venditionem, & ipsi permutantes habebantur loco Emptoris, & Venditoris, ut constat ex §. item pretium cit. & l. scindum 19. §. deinde 5. ff. de Ædilit. Edit. Nec ab ludit hæc acceptio à Phras. Scripturæ, ubi Gen. 25. v. 34. dicitur Esau primogenita, pulmento permutata, vendidisse.

Recentiori Jure Emptio Venditio accipitur pro Contractu à cæteris discre-

to, in quo de re, tanquam merce, pro pretio pecuniariorio danda, convenitur, ut habetur l. origo 1. §. sed an 1. ff. de contrah. empt. quod ideo factum est, ut tollerentur incommoda, quibus rerum permutatio propter inæqualitatem estimationis rerum obnoxia fuit. Consequenter hoc Jure Vendere, & Venditor dicetur solus ille, qui rem, sive mercem pro pecunia, Emerere autem, & Emptoris tantum, qui pecuniariam, tanquam pretium, pro re, seu merce dedit §. sed an cit. Ex quo patet, et si Emptio, & Venditio in Jure conjungi soleant, ut sit in præsenti Rabrica, eas tamen diversos actus esse, cum emptionis emptoris, venditio sit venditoris.

Neque obstat, quod his nominibus, Veteres indiscriminatim usi sint, ut dicitur l. veteres 19. ff. de action. empt. & constat ex l. inter patrem 2. pr. ff. de contrah. empt. ac Cicerone l. 3. de Offic. ubi emere pro vendere disertè dicit; non enim ita Cicero, & J. Cuius vocabula hæc confudere, ut propriæ significations vim eandem omnino tribuerent.

utrique, sed solius modo Emptionis, modo Venditionis nomine totum Emptionis Venditionis contractum exprefserunt, quod nec sine Emptione Venditio, nec sine hac illa confidere, aut intelligi posse, ut ad princ. Inst. b. tit. notat Vinnius n. 2.

Queritur 2. qua sit definitio Emptionis Venditionis? Mirum in modum variant in hac tradenda DD, cuius variationis causa fuit non modica diffensio illorum circa ipsam hujus contractus substantiam: in & hi, qui penitus istam habuere perspettam, sensu quidem omnes eodem, verbis tamen alijs, & alijs usi sunt. Et Salas quidem tr. de Emption dub. 1. n. 10. perpaucis Contractum istum definit, & Venditionem quidem passionem rei pro pretio, Emptionem vero passionem pretij pro re esse dicit. Molin. tr. 2. de Jus. D. 336. n. 5. utramque una definitione complexus ait, eam esse Contratum, qui consensu perficitur mercis pro pretio. Prae his, & alijs accusatione est RR. J. Ctorum, secundum quos Emptio Venditio est Contractus Juris gentium, nominatus, bona fidei, initus consensu, quo de re, seu merce pro certo pretio pecuniaro, & de pretio pro re tradendo convenitur. Ita Knipschilt Exerc. Acad. 8. tb. 4. fol. 274. Richter. de Contractib. D. 9. tb. 1 fol. 230. Harpprecht ad princ. Inst. b. tit. n. 6. Clariss. P. Schmier de Pac. & Contract. c. 2. n. 6. & duo Antecessores mei P. Jacobus Wiestner hic n. 4. & P. Melchior Friderich tr. de Empt. & Vendit. p. 1. c. 1. art. 1. n. 7.

Dixi 1. Contractus: quod ponitur loco generis, in quo differt ab ultimis Voluntaibus, qua nomine Contractus non continentur l. verba 20. ff. de V. S.

Dixi 2. Juris gentium. Talem esse constat ex l. origo 1. §. est autem 2. ff. de Contrab. empt. & §. sed jus 2. Inst. de I. N. G. & C. ibi, Hoc Jure gentium omnes penè contractus introduci sunt, ut Emptio Venditio, Locatio Conduclio &c.

Dixi 3. Nominatus. Talis dicitur esse l. hujus 1. §. fin. ff. de Pac. & l. Juris gentium 2. §. que parunt 1. ff. eod.

Dixi 4. Bonae fidei. Inter hos censetur §. actionum 28. Inst. de Action. Ratio est, quia in hoc Contractu multa ex aequitate prestantur, de quibus expreſſe conventum non est.

Dixi 5. Consensu: quamprimum enim vendor, & emptor de re pro certo pretio tradenda consenserunt, traditione quoque non secuta, Contractus Emptionis Venditionis perfectus censetur, & ut inquit producitur obligatio, & actio princ. Inst. b. tit. l. inter 2. §. fine 1. ff. de contrab. empt. l. sicut 1. §. item emptio 2. ff. de rer. permitt. Neque obstat, quod l. Julianus 13. §. offerri 8. ff. de action. empt. dicatur, Actionem ex empto non confurgere, donec integrum pretium emptor vendoris solverit; quia hoc

non aliter intelligendum est, nisi quod actio ex empto non possit ab emptore cum effectu moveri, priusquam totum exsolvente pretium, utpote cum eo usque venditor, de merce tradenda interpellatus, exceptionem non soluti pretij opponere valeat.

Dixi 6. de re, seu merce pro pretio, & de hoc pro re tradendo: per quas particulas Emptio Venditio distinguuntur à Penitulatione, in qua res pro re; à Cambio; in quo pecunia pro pecunia; à Locatione; in qua res utenda, fruenda pro pensione sive pecuniae, sive fructuum datur.

Queritur 3. quenam ad substantiam Emptionis Venditionis pertineant? ad hanc communis DD. consensu tria requiruntur. 1. Consensus utriusque celebrantium Emptionem Venditionem, Emptoris quidem ad tradendum pretium pro merce, Venditoris autem ad tradendam mercem pro pretio.

2. Pretium. Pretij autem nomine hic venit nummus, sive pecunia, quæ inventa est, ut sit publica mensura, sive estimatio omnium rerum, seu mercium, quæ in commutationem, sive commercium humanum venire possunt l. origo 1. princ. ff. de contrab. empt. Et quidem Pretium Emptionis debet constitui certum, & determinatum. Inst. princ. V. pretium b. tit. Hinc invalida est Venditio, quis dicat: Vendo tibi ades meas pro justo pretio, nisi quodam sit justum pretium, arbitrio boni viri, sive officio Judicis determinatum fuerit l. fin. c. de contrab. empt.

3. Merx: quo nomine intelligitur aliquid pecunia estimabile, sive deinde si res mobilis, sive immobilis; nam etiam res immobiles v. g. fundus, item Jura, nomina debitorum, levitutes &c, materia Emptionis, & Venditionis sunt. Debet autem & haec in Emptione Venditione esse certa & determinata; quia rei incertæ pretium certum, quemadmodum hic Contractus exigit, non potest statui. Pith. hic n. 2. Wiest. n. 7. Neque obstat, quod vendi, emique possit alea, jactulque retis, & pilicium, aviumque captura l. nec emptio 8. pr. & §. aliquando 1. ff. de contrab. empt. quæ tamen nec certa, nec determinata sunt, cum contingere possit, ut parum, vel multum, aut nihil capiatur; nam ut P. Wiest. l. cit. cum Brunneum in l. cit. n. 4. & Haun. tom. 4. de Jus. tr. 16. n. 83. recte advertit, hoc calu non tam pilces, & aves, quæ capture spes, & pilces, avicula, si in rete neiderint, percipiendi jus venditur, & emitur, quæ spes, & jus, licet ex parte objecti incerta sint, in se tamen sunt determinata, & certa. Et hinc

Colligitur 1. de Substantia Emptionis Venditionis non esse, ut actu transferatur dominium, sed solum, ut ex eo nascatur obligatio transferendi dominium, quantum est ex parte vendoris, tradendo rem emptam pro pretio per soluto, prout patet

ex l. si ita 25. §. qui vendidit 7. & l. cùm manu 80. §. fin. ff. de contrah. empt. l. alienatum 67. ff. de V.S. Ratio est, quia emptor rei alienæ v. g. furtiva non comparat dominium ejusdem, & tamen intercedit vera venditio; nam, ut l. rem alienam 28. ff. de contrah. empt. Ulpianus loquitur, rem alienam disfricare quem posse (valide, quamvis non licite) nulla dubitatio est. Accinit l. quia aliena 8. c. quis alteri, vel sibi &c. ubi Imperatores, Qui alienā, inquiunt, pecuniā comparat, non ei, cuius nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei fuerit tradita possessio, querit.

10. Colligitur 2. ad ejusdem Contractus substantiam etiam non requiri traditionem mercis, vel pretij. Ita DD. magno consensu, & patet ex dictis n. 6. Conf. nam si traditio requereretur, jam non solo consensu super re, & pretio perficeretur, quod tamen asseritur §. ideo autem 1. Inst. de oblig. ex consens. l. origo 1. §. fin. ff. de contrah. empt. Neque obstat l. cùm convenit 2. pr. C. de peric. & commod. rei vend. ubi ante secutam traditionem rei & pretij contractus pro imperfecto habetur; quia textus ille solùm loquitur de venditione vini, qua ante mensurationem perfecta non est, quod vinum sub ea conditione vendi videatur, Si fuerit admensum, ut dicitur l. quod sepe 35. §. in his 5. ff. de contr. empt. & ratio est, quia ante mensurationem de certa quantitate vendita non constat, prout tamen contractus Emptionis Venditionis natura exposcit.

11. Colligitur 3. solutio illius dubij, an Scriptura requiratur ad substantiam Emptionis Venditionis; Nam attendendum est ad modum, quo Emptor, & Venditor contrarerunt. Si inter eos de re pro pretio pecuniariorum tradenda convenit simpliciter, scriptura de substantia Contractus non est, ut clare liquet ex princ. Inst. b. tit. & l. cùm res 12. C. de Probat. Ratio est, quia Regulæ instar receptum est, scripturam ad Contractus, vel alterius actus substantiam non requiri, præterquam in casibus Jure expressis arg. l. paclum 17. C. de pacl. atqui nullum Jus exposcit scripturam ad substantiam, & valorem Emptionis Venditionis. ergo &c. Quodsi inter Emptorem, & Venditorem ita convenit, ut super contractu celebrato conficiatur Instrumentum, multum interest, an consensum suum confectioni Instrumenti alligarent, necne. Si non alligarent, validus est Contractus, et si confessio Instrumenti omittatur; quia eo casu censentur tantum voluisse Instrumentum confici, ut temporis longinquitate Contractus memoria non intercidat, & probationis copia pereat. Tusch. præl. V. contractus concl. 99. Salas tr. de Empt. dub. 65. Fernand. Vasq. l. 1. contr. c. 28. n. 23. Wiest. hic n. 9. Aliud est, si inter eos actum est, ut contractus non valeat, nisi super eo confecta, & approbata

scriptura sit; tunc enim scriptura ad substantiam illius pertinet, & ante illam perferantur, & approbatam nulla obligatio nascitur, ut clarè iterum patet ex princ. Inst. b. tit. l. contractus 17. C. de fid. Instrum. & docet Molin. tr. 2. de Just. D. 337. n. 5. Haun. tom. 4. tr. 10. n. 14. Wiest. hic n. 9. Ratio est, quia tali casu contrahentium intentio est conditionata, & suspensiva obligationis ad eventum confecta scriptura. Igitur nisi confecta sit scriptura, eaque approbata, non obligabuntur contractu, perinde, ac inter eos nihil fuisset actum; quia à contrahentibus nihil actum censemur, quamduam quid ex conventione addendum supereft ut dicitur l. cùm Silanianum 11. C. de bis, quib, ut indign.

Colligitur 4. qualis sit Contractus, quando convenitur de re partim pro pretio, sive certa quantitate pecuniae, partim pro re v.g. de fundo pro 1000. aureis, & domo, de equo pro 30. fl. & bove prestanto. Nam distinguendum est, an premium pecuniarium valorem rei adiectæ notabiliter exceedat, vel an ab ista excedatur, aut eundem æquet. Si primum, dici Contractus hoc debebit Emptio Venditio. Gomez tom. 2. var. c. 2. n. 10. Covar. l. 2. var. c. 4. n. 9. Molin. tr. 2. de Just. D. 336. n. 6. Haun. tom. 4. tr. 10. n. 9. Wiest. hic n. 10. & 11. Si secundum, permutatio censenda erit, juxta eosdem. Si tertium, scienduntur DD. nam aliqui cum Baldo volunt esse Contractum Emptionis Venditionis; alii cum Bartolo contendunt esse Contractum innominatum. Melius Gomez, Covar. aliisque súp' cit. asserunt esse Contractum mixtum, qui quatenus respicit premium, sit Emptio Venditio; quatenus verò rem, permutatio. Sed de hoc parum refert; nam dici potest, hoc casu talem Contractum esse celebratum, qualem celebrare contrahentes intenderunt.

Queritur 4. quotplex sit Emptio, Venditio? &c. quatuor præcipue Contractus istius divisiones invenio. 1. In Naturalem, & Artificialiem. Naturalis, quæ etiam Oeconomica, & à S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. Necessaria appellatur, est, quæ quis emit ea, quæ ad suam, & familiæ sus-tentationem necessaria sunt, vendit vero superflua. Artificialis illa dicitur, quæ non præcisè ad sustentationem necessaria emuntur, aut ad eam superflua venduntur, sed quæ lucrum aliquod intendit. Et hæc duplex est: Una, quæ aliquid emitur, ut per industria, & artem transmutatum carius vendatur, veluti si quis emat lanam, ut pan nos inde conficiat, aut colores, ut picturas efformet &c. Altera, quæ res emitur, & non mutata rursus cum lucro venditur. Hæc propriè est Negotiatio, non item prior, ut advertit Auth. Oper. Imperf. relatus can. ejiciens 11. dist. 88.

14. 2. In eam, quæ in scriptis sit, & in illam, quæ sine scriptis sit. *In scriptis* censetur tunc facta, quando contrahentes sic convenerunt, ut non valeat Emptio Venditio, nisi super ea confecta sit scriptura, seu quando scriptura ex conventione contrahentium pertinet ad substantiam Contractus. *Sine scriptis* celebrata censetur, quando scriptura ex conventione contrahentium ad substantiam Contractus non pertinet, sive deinde super illo sit confecta scriptura, sive non; nam etiam quando super Emptione Venditione confecta scriptura est, modo haec ad substantiam ejus ex mente contrahentium non pertineat, sine scriptura celebrata censetur juxta dicta n. 11. Porro discriminis illius effectus est, quod cum sine scriptis celebrata est Emptio Venditio, poenitere, & à contractu, utpote jam perfecto, resiliere neutri amplius contrahentium licet, invito altero; sit autem pœnitentia, & revocationi locus ante confectum Instrumentum, quando Emptio Venditio celebratur in scriptis, utpote quæ eo tempore adhuc substantialiter imperfecta est. Haun. tom. 4. tr. 10. n. 14.

15. 3. In Venditionem generis, & Venditionem speciei. *Venditio generis* est, quando ex pluribus ejusdem generis rebus, v.g. ex pluribus ejusdem Authoris libris, ex pluribus ejusdem estimationis equis &c., unus, vel duo, nulla certa specie, vel ut Philosophi loquuntur, individuo designato, venduntur. *Venditio speciei* vero dicitur, quando de una, vel pluribus speciebus, seu individuis certis pro certo pretio tradendis convenitur. Porro inter has duas species id est discriminis, quod si Venditio speciei sit celebrata, & una, vel altera species, aut individuum, circa quæ contractum est, nullâ venditoris culpâ ante traditionem pereat, interitus sit emptoris; si vero Venditio generis facta sit, & illius generis aliquæ species, seu individua pereant, interitus sit Venditoris, ita, ut hic, si vel unicum ex illo genere supersit adhuc, illud ex contractu teneatur emptori tradere. P. Wiest, hic n. 14. P. Friderich tr. de Empt. Vendit. p. 1. c. 1. n. 10. Clariss. P. Schmier tr. de paci. & contra. c. 2. n. 18.

16. 4. In eam, quæ sit ad Corpus, & illam, quæ sit ad Mensuram. *Ad Corpus* facta Venditio dicitur, quando plures species, seu individua per modum unius rei individuæ venduntur vel sine numeri, ponderis, & mensura expressione, vel cum hujus expressione quidem, non tamen taxative, sive animo contractum ad eam quantitatem adstringendi, sed demonstrative duntaxat, sive ad demonstrandam, seu discernendam rem facta. *Ad Mensuram* Venditio fit, quando certa quantitas specierum, seu individuorum sub genere comprehensorum venditur, ita, ut quod

excedit, non intelligatur comprehensum contractu. Exemplum Venditionis *ad Corpus* est, quando totus acervus tritici, vel totum viuum in dolio venditur, sine ulla scapharum, vel urnarum expeditione, vel cum expressione quidem illarum, non tamen constituto in singulas pretio, nec animo contractum restringendi ad eum scapharum, vel urnarum numerum. *Ad mensuram* Venditio est, quando ex frumenti acervo 10. Scaphæ, vel ex eodem vini dolio decem urnæ, certo pretio in singulas, vel uno in omnes simul constituto, venduntur, ita tamen, ut si plures scaphæ in acervo, vel plures urnæ in dolio contineantur, excessus non intelligatur venditus.

Queritur 5. quid interfit, an Venditio fiat *ad corpus*, an vero *ad mensuram*? **17.** plurimum interest. Nam 1. si *ad corpus* celebrata venditio sit, eā omne periculum avertitur ad Emptorem, ita, ut si res vendita vel in toto, vel in parte pereat, Emptori pereat: & hinc etiam Venditio per aversionem dicitur 1. cùm convenit 2. C. de peric. & commod. rei vendit. & 1. qui officij 62. §. fin. ff. de contrah. empt. Haun. tom. 4. tr. 10. n. 50. Brunnem. in 1. qui officij cit. n. 1. Clariss. P. Schmier tr. de paci. & contract. c. 2. n. 21. P. Wiest. hic n. 15. At cum Venditio *ad mensuram* facta est, si res vendita, v.g. acervus tritici, aut vinum in dolio ante traditionem, vel potius mensurationem pereat, Venditori perit 1. cùm convenit cit. quia tunc Venditio presumitur facta sub conditione, Si res adnumerata, admensa, vel appensa fuerit, prout sumitur ex 1. quod sepe 35. §. in bis 5. ff. de contrah. empt. Haun. n. 61. cum cit.

18. 2. Si Venditio est *ad corpus*, & premium est unicum ac indivisibile, v.g. Vendo tibi omne vinum hac cella contentum pro 1000. fl. sunt urnæ 60. Et c. tunc venduntur omnes, & singula partes corporis, tametsi pauciores sint demonstratae, quam revera illa massa contineantur, & idcirco teneor Emptori tradere omne vinum, eti plures sint urnæ, quam 60. l. qui fundum 45. ff. de Eviction. & vicissim Emptor solvere debet premium conventionis, & perinde est, sive plures deinde deprehendantur urnæ contentæ in cella, si ve pauciores, quam demonstratae sint, modo constet (quod tamen regulariter non presumitur, ut observat Molin. tr. 2. de Just. D. 366. num. 8.) quantitatem tantum per modum demonstrationis expressum fuisse. Ratio est, quia in tali casu expressio quantitatis rei ad quantitatem pretij impertinenter se habet, cum per eam solum res vendita demonstretur, ut discerni ab alijs possit. Contra si Venditio facta sit *ad mensuram*, constituto pretio ad singulas urnas viui, aut modios frumenti &c. & quantitas addatur taxative, tantum censetur venditio mensura expressa, & si pauciores sint expressa

pressis , diminui de pretio convento poterit ; si vero plures , & emptor velit omnes habere , augere pretium pro modo excessus debet ; quia pretium generale constitutum censetur tantum , supposita quantitate expressa .

29 Ex quo sequitur multum interesse , an quantitas addita sit taxativè , an demonstrativè : idque verum est , etiam venditio facta sit ad Corpus ; nam etiam in hac , si taxativè adiecta sit quantitas , pro quantitate , quam merx re ipsa habet , per solvi premium debet , prout constat ex l. si. servum 4. & pluribus alijs ff. de contrab. empt. & ratio est ,

quia eo casu contrahentes censentur aliquæ intentionem suam quantitatii taxata , ut adeo nec vendor hoc pretio presumatur venditus , si major sit quantitas , nec emptor empturus , si minor sit eā , que est expressa . Idque verum est non tantum , quando vendor dolo expedit maior numerum , sed etiam si per imprudentiam , aut ignorantiam , cum ratio refundatur in defectum confessus , qui substantiam Emptionis Venditionis vitiat : nec solum procedit in foro interno , sed etiam in externo : unde tunc datur Actio quantum minoris l. tenetur 6. ff. de act. Empt.

§. II.

De Personis Vendentibus , & Ementibus.

SUMMARIUM.

- 20. Emere , ac vendere potest , quicunque liberam rerum suarum administrationem habet .
- 21. Speciali Juris interdicto prohibentur Magistratus .
- 22. Filius familias cum Patre .
- 23. Pupillus , & Minor cum Tutori , & Curatore .
- 24. Advocatus cum Cliente &c. Emptionem Venditionem non possunt contrahere .
- 25. Regulariter nemo cogi ad emendum , vel vendendum potest .
- 26. Nisi id exigat necessitas .
- 27. Aut utilitas publica .
- 28. Favor Religionis , ac Pietatis .
- 29. Jus alterius .
- 30. Malus rei usus , vel privilegium .
- 31. In casu necessitatis publicæ compelli possunt etiam Clerici , & Religiosi .
- 32. Non tamen à Magistratu seculari .
- 33. Requisita , ut ex causis relatis aliquis cogi ad emendum , aut vendendum possit ?

20 Ueretur l. quinam possint emere , & vendere ? n. emere , & vendere possunt omnes , qui liberam rerum suarum administrationem habent l. dudum 14. c. de contrah. empt. l. si convenerit 18. §. fin. ff. de pignor. act. & alibi pasim . Quodam prohibet natura , ut Infantes , furiosos , amennes , ebrios l. emptionem 2. c. de contr. empt. Alios Lex , ut Pupillos , Minorennes , Prodigos tot. tit. Inf. quib. alien. non lic. l. 1. & seqq. ff. de Curat. furios. l. Imperatoris 1. ff. de reb. eor. qui sub tutel. Nonnulli vendere , & emere nequeunt Interdicto Juris speciali . Et tales sunt

21 1. Qui cum imperio Provincij presunt , ut habetur l. non licet 46. l. qui officij 62. ff. de contrab. empt. Et quidem Lege Julia Repetundarum cautum fuit , ne Praesidi , vel Procuratori Cesariis in ea Provincia , quam administrat , per se , vel per alium liceat aliquid comparare , aut donatione acquirere , prohibita etiam usucacione rerum , ac si furtivæ essent l. quod contra 8. ff. ad L. Jul. repetund. l. auferunt 2. §. quod a Praeside 2. ff. de Jur. sic. l. un. C. de contractib. Judic. Hodie prohibitions istæ universum omnes cessarunt , postquam Magistratum officium , olita annum , aut trien-

nale , factum est perpetuum , ut passim rorant DD. cum Bald. l. 3. conf. 330. princ. Excipitur casus subhaftationis ; nam ex bonis ita subhaftatis Judex , cuius autoritate illa hafta subjiciuntur , itemque Exceptor , seu Grapharius ab emptione illorum etiamnum hodie prohibentur , ne contra Regulam Juris in rem suam authores fiant l. quamquam 1. & l. quod decimus 7. ff. de auct. tutor. Giphian. in l. 11. c. de his , que vi. Wilenbach. ff. de contrab. empt. th. 7. P. Friderich. de Empt. Vendit. p. 2. n. 118.

2. Filius familias ; nam eti cum alijs contrahere Emptionem Venditionem possit , & ex hac civiliter obligetur l. tenetur 6. §. si filius. 7. ff. de act. empt. non tamen potest cum Patre ; & si contrahat , quamvis inde oriatur obligatio naturalis : sicut inter servum , & dominum §. in omnibus 1. Inf. de fidejuss. l. nec servus 4. ff. de Pecul. civiliter tamen ex ea venditione non obligatur ; quia obligatio civilis inter patrem , & filium impeditur à patri potestate l. Imperator 50. ff. ad 3. C. Tielell. & ratio est , quia patri potestas facit , ut pater , & filius una , eadémque persona esse confeantur , & sic pater cum eo contrahens secum ipsi contrahere videretur , quod fieri non potest . Excepitur , si filius patri vendat sua bona castenda